

Bibliothèque numérique

medic@

**Helie, Christophe Gabriel - candidat /
Disdier, François-Michel - président. -
[De calculo in cystide felleâ]**

1753.

***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°36



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0036



D. O. M.
 THESES ANATOMICÆ
 ET
 CHIRURGICÆ.


EX ANATOMIA.

I.



INNUMERIS laborare morbis, ea est hominis, dum vivit, conditio; illis vero succurrere, ea est Chirurgi, dum valet, functio: amissam enim partium corporis humani, quæ, dum fœdere junguntur stabili, incolumem machinæ fabricam servant, conspirationem restituit. Pro peculiari textu & constitutione organicâ suos pars quælibet patitur affectus, eos quibus cystis fellea quandòque laborat, quique Chirurgiâ sanari possunt enucleaturi, pauca de abdominis anatome præmittemus.

A



I I.

ABDOMEN seu infimus venter partibus externis & internis, continentibus & contentis, communibus & propriis constans, in plurimas regiones dividitur.

I I I.

TEGUMENTA communia, muscoli, peritonæum, ossaque plurima partes inter externas seu continentes annumerantur.

I V.

MUSCULORUM abdominis quinque spectantur paria, quibus diversi fibrarum ductus, nominum diversitatem pepererunt.

V.

LINEA quædam tendinea, inæqualis latitudinis, per medium abdominis ab ensiformi cartilagine ad juncturam ossium pubis extenditur. Hæc *linea alba* dicitur, musculorum abdominalium tendinibus mirè inter se implexis conflatur, & foramine, in mediâ sui parte, umbilico dicto donatur.

V I.

OMNIBUS musculis abdominis lineæque albæ subjacens in conspectum venit membrana tenuis, viscera undequaque involvens, peritonæum.

V I I.

APERTO ex arte peritonæo, plurima in abdominis cavo occurrunt viscera, quorum præcipua, hepar cyllis fellea, &c.

V I I I.

HEPAR five jecur viscus est maximum variis pro ætatibus mole ac colore varium, bilis secretioni inserviens.

I X.

SEDEM suam sub diaphragmate spuriarumque costarum cartilaginibus obtinet, & à latere abdominis dextro sinistrorsum porrectum, suavi complexu ventriculum fovet.

X.

FALCIFORMI ligamento fissurâque in duos lobos distinctum duas exhibet facies, quarum superior convexa & æqualis diaphrag-

3

matris fornicis sese aptat, inferior verò, inæqualiter concava, in eminentias extuberat, sinubusque excavatur.

X I.

Ex eminentiis sub lobo majore tantum conspicuis, una, pyramidalis, *spigelii lobus* vocatur, & alia *transversa*, antè sita, quæ quidem ambæ hepatis *portæ* nomen ab antiquis acceperunt. Cavitates vasa notabilia admittunt.

X I I.

SUPERIUS & ex utroque latere diaphragmati spuris que costis, inferius abdomini, ligamenti à situ, figuræ & usu diversè nominatis annectitur.

X I I I.

IN toto hepatis parenchymate fiunt innumeræ venæ portarum distributiones quæ in alia vasa, *poros biliares* nuncupata, canalem hepaticum formatura definunt.

X I V.

PRÆCIPUAS à trunco cæliaco, alias à mesentericâ superiori diaphragmaticisque fortitur arterias; sanguinem quoque pro bilis secretionem ordine arterioso ducit vena portarum; illum verò in cavam deducunt hepaticæ. Nervi à sympathicis majore & medio prodeunt, quos cum poris biliaribus & aliis vasis advehentibus comitatur & involvit *Glissonii capsula*.

X V.

VESICULA quædam membranacea pyri figuram quodammodo æmulans, redundantis in sanguine bilis receptaculum, & cystis fellea dicta, in dextro jecoris sinu occurrit.

X V I.

DIVIDITUR in fundum, quâ parte amplior, & in collum seu cervicem, quâ strictior est.

X V I I.

EX quatuor constat membranis quarum exterior, communis, peritonæo adscribitur; (a) huic muscularis duobus fibrarum ordinibus conflata, musculari nervea, & nervea villosa, intus rugosa, & versùs collum, cochleæ in modum striata, subjacet.

(e) Winslow, Exp. anat. §. 295.

A ij

4
X V I I I.

PROTENDITUR è cystidis collo canalis cysticus dictus; ex cuius cum hepatico adunatione communis exurgit ductus bilem hepaticam & cysticam in duodenum deducens, hic choledocus.

X I X.

FELLEA cystis bilem ab hepate secretam colligit, ad certum tempus asservat, denique expellit (a), indè eam cum urinariâ vesicâ comparari posse nullus non videt.

E X C H I R U R G I A.

I.

UT in urinariâ vesicâ calculi generantur, lotiumque aliquoties retinetur, sic quoque concreciones solidas in cystide felleâ efformari, bilemque retineri, frequenti constat experienciâ; hinc easdem in utrâque parte operationes, habitâ tamen diversæ connexionis & sitûs ratione, institui posse concludendum. (b)

I I.

CALCULUS biliaris, unicus vel multiplex, variam molem habet & figuram. Quicumque autem sit, nisi in cystidis collum impingat, rara parit symptomata, nullamque ferè medelam exigit; cum verò in vesiculæ collum impegit, tunc bilis suppressionem procreat. (c)

I I I.

Nec solâ illius præsentia bilis accidit suppressio, hæc rursus, à cystidis atonia, inflammatione, liquorisque illius quantitate nimia, majorique crassitie pendet.

I V.

SEQUENTIA signa bilis suppressionem, quæcumque sit illius

(a) Heist. compend, Anato. §. 217. p. 89.

(b) Calculos 36. in unâ cystide vidit M. Malaval legatus & præpositus perpetuus; sæpè etiam plures invenit M. Foubert legatus designatus: conferantur quoque ea quæ hæc super re scripserunt M. le Dran in oper. Chirurg. p. 249. & M. Petit in Reg. Chirurg. Acad. Commentariis, p. 163.

(c) Vide jam citata Reg. Acad. comm. p. 166. & operat. Chirurg. M. le Dran, p. 250.

5
causa, antecedunt & comitantur febris, horror irregularis; oris amarities, sitis, bilis per universum corporis habitum diffusio, lotium ardens, rubrum, bile refertum, stercoraque albida leucophæo proxima: dolor autem colicus, tumor, & fluctuatio certius indicant.

V.

QUÆ quidem diagnosis hepatis abscessui convenit, non desunt tamen signa, quibus utraque distingui possit affectio.

V I.

IN abscessu enim, dum formatur, dolor pungitivus: in tumore cystidis, dum crescit, idem non percipitur. Bilis retentæ fluctuatio in omnibus tumoris punctis manifesta est, abscessus verò aliquoties obscura, duritie circumvallata. Plurimos regionis epigastricæ locos indifferenter occupat abscessus; cystidis tumor circumscriptus semper, infra costas spurias, ponè musculum rectum, subito ferè exurgit. (a)

V I I.

REPETITIS sanguinis missionibus, emeticis, potionibus oleosis, cholagogis, balneis aquosis, cataplasmatum emollientium, solâque manuum adhibitione malum illud quandòque curatur. (b)

V I I I.

QUANDOQUE contrà hæc omnia frustranea sunt, augetur bilis collectio, ingravescunt symptomata, maximis æger urgetur doloribus, tunc vel nulla, vel quædam adest cum peritonæo cystidis adhæsiō; si prius, à naturæ viribus, si posterius, ab operatione salus ægri expectanda.

I X.

INTIMA autem vesiculæ cum abdominis integumentis adhæsiō, tactu, & dum æger in sinistrum latus decumbit, cognoscitur. Tumor enim eâdem ratione, quâ in situ quolibet alio, deprehenditur.

X.

QUâ invictissimè compertâ adhæsiōne, triquetram acum canaliculatam, per abdominis integumenta usque in cystidem felleam

(a) In Reg. Acad. Chirurg. Commentariis, p. 161.

(b) Ibid. p. 158. & M. le Dran, in oper. Chirurg. p. 251.

Chirurgus adigat, bile per cannulæ rimam prodeunte, acum è cannulâ suâ educat, bilemque accumulatam evacuâri sinat.

X I.

CUM verò bilis suppressio quandòque à calculo vesiculæ collum obturante pendeat, nulloque signo, vesiculâ intactâ, illius existentia percipiatur; cannulâ nunquam educenda, quin illius ope specillum in cystidem fuerit immissum.

X I I.

Si nihil extranei occurrat, specillum cum cannulâ educatur & foramini splenium aquâ vitæ imbutum, mantileque apponantur; sin autem calculus perfentiatur, cannulæ sulcatæ ope, scalpellum in cystidem immittatur, & fiat incisio quâ, digito, vossellifve, calculus possit eximi. (a)

X I I I.

His peractis, Embrocationes ex oleo rosaceo instituendæ sunt, & plaga, consueto vulnerum simplicium, aut contusorum more, pro re natâ, deliganda & ad cicatricem perducenda.

(a) Vide hanc operationem in act. Academ. Reg. Chirurg. p. 279 descriptam.

Has Theses DEO JUVANTE, & præside M. FRANCISCO MICHAELE DISDIER Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur CHRISTOPHORUS GABRIEL HELIE Parisinus, Artium liberalium Magister.

P A R I S I I S .

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Lunæ 31^a Decembris, anno R. S. H. 1753. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO,

E T

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi, 1753.